



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Decreta Provinciae Mediolanensis Svb B. Carolo Borromeo, Cardinale
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]
voluminibus edita

Speciano, Cesare

Brixiae, 1603

Tit. III. De Consuetudine.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10553

DE CONSVETVDINE.

Vbi ius optandi extat qualiter fructus inter optantes diuidantur.



VIBVS in Ecclesiis optionis ius est, vbi dimidia pars fructuum præbende in illius vacatione, vel sacristie, vel fabricæ Ecclesiæ soluitur, ea pars pro ratione præbende, quæ primò vacauit, soluitur.

Idem ab omnibus præstetur, qui ordine deinceps singuli occasione illius vacationis, vel ad eam ipsam obtinendam optionis iure vsi sunt, vel ad alias consequendas, quæ occasione optionum successiue vacarunt, ita vt vnusquisque soluat pro rata tantum accessionis redditum, sibi illo ipso optionis iure facta. Hæc porro solutio, vbi quisq; primi anni fructus ex præbenda, quam sibi iam optauit, perceperit, statim ab eo præstetur. Reliqua item, quæ de parte fructuum dimidia persoluenda olim decretis nostris constituta sunt, ad eorum præscriptum seruentur.

DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

Celebranti Episcopo Archidiaconus deseruiat.

Cap. 2.
de off.
Arch.



ARCHIDIACONVS etiam si sit sacerdos, vel præbendam etiam sacerdotalem, præter Archidiaconatum, obinet, missæ sacrum solenniter Episcopo celebrante, sui quod est muneris, Euangelium canat.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI
vel Plebani.

Oleum, seu Chryisma sacrum, quibus in libro describendis consignandum, & qualiter ægris deferendum sit.



VI in Ecclesia Cathedrali id muneris datum est, vt oleum, aut Chryisma sacrum Plebanis, alijsue distribuatur, is in librum, eo nomine confectum, illarum Ecclesiarum nomina referat, quibus dederit. Pari ratione Prepositi, Plebanive libro notent eas Ecclesias parochiales, quibus singulis annis sacra olea distribuunt. Ij verò omnes ne illa alijs deferenda dent, nisi ijs, qui sacris ordinibus initiati sunt. Hoc ipsum etiam seruetur cum Parochus ad sacrum oleum ægris ministrandum accedit, vt ipse scilicet, non laicus homo, illud in itinere deferat.

DE